qui forsan posteà peculiari Imperio constituto, sibi
non tantùm præriperent illius Insulæ felicitatem, sed
&ex eâCarthaginense Imperium infestarent,eive ma-
ris dominium extorquerent. Publico idcírco consilio
decreverunt, morte etiam indictâ, nequis post hâc eò
navigaret: & ne ab iis qui jamdùm illam Insulam oc-
cupârant, periculum sibi metuendum esset; omnes
eos, quibus quidem potiri potuerunt,expulerunt, aut
interfecerunt. Atque hoc fortasse modo factum est;
ut cùm Carthaginensibus id prohibentibus, & etiam
hostiliter avertentibus hoc tentantes, nemo ampliùs
eò navigare auderet: Insula indè illa (quæ sine dubio
America, vel eidem vicina erat) tùm non fuerit ex-
plorata. Pro credibili itidem alii sumunt, neglectas
etiam fuisse hasce regiones,propter Imperiorum,Ro-
mani præsertim, Græcaniciq; commutationes; qua-
rum sanè occasione,totus noster Orbis,bellis vastatio-
nibusque jugiter ardebat: & quia Barbarorum pri-
mùm incursiones, tùm & Turcici Imperii incremen-
ta, vires & cogitationes Europæorum, ita in se ex toto
convertebant; ut navigationibus instituendis, non
ullus iis locus relinqueretur. Nautica quoque Pyxis,
veteribus incognita fuit: *Guido Panciroll.in Novis repert.
cap.* 11. *& ibi Salmuth.* ideoque ferè semper terrarum
oras tantummodò legerunt olim navigantes; nemo-
que se facilè vasto Oceano committere fuit ausus. Lu-
bet & aliam hîc subijcere narrationem, quæ aliqua-
lem quoque suggerit rationem, cur non citiùs inda-
gata fuerit terra illa nova. Cùm circa Annum à nati-
vitate Salvatoris nostri DCCC. Vergilius Episcopus
Tridentinus, Divini verbi sollicitus propagator, de
Antipodibus (qui haut dubiè futuri essent,si inquire-
rentur)

Ex Aventino Histor. Magdeburgensis, cent 8.c.10.fol.785. *VValch.* dict. fab.9. fol. 258. *Cyriacus* Spãgenberger / in der Historia Bõifacii.c.40.